

12 *Redintegratæ Annotationes ad Chronicon Marmoreum,*

Marfyas Pellæus, natus eadem ætate, eademque civitate, unaque educatus cum magnanimo illo Pellæo Juvene, cui unus non sufficebat Orbis, præter librum de educatione *ἑπιλιτικῶς* sui, inquam Alexandri Magni, & decem rerum Macedonicarum à Carano primo Argivo, Macedoniae Rege, edidit etiam 12 libros, de rebus Atticis, teste Suidâ.

Demetrius Phalareus, eruditissimus etiam Ciceronis iudicio, si non profusus, certe propemodum attigit citimum terminum Marmorei Chronici, utpote regnum Ptolemæi Philadelphi in Ægypto, cujus Bibliotheca cum præfuisse multi sunt auctores: quum Diogenes Laertius scribat eum à Philadelpho post mortem Ptolemæi Lagidæ five Soteris patris sui, quod huic suaderet ut filio ex altera matre regnum relinqueret, asservatum esse tanquam in libera custodia (forte circa ipsam Bibliothecam) ubi mæstior vixit, donec veluti dormitans, ab aspide manum morsus è vita migraret. Hic Demetrius, quum antea Athenis magnâ gloriâ decennio præfisset, statuique tercentum sexaginta, ferme tot quot lucas habet annus absolutus, honoratus esset, libro edidit *Ἀναγραφὴν* descriptionem, five recensitionem Archontum Atheniensium: quam idem Diogenes sæpe citat in vitis Philosophorum, ut primi omnium Thaletis, quem ex eodem refert primum sapientem appellatum Archonte Athenis Damasiâ, posteaque Autore Apollodoro in Chronicis, natum anno primo Olympiadis 35, quod videtur ita intelligendum, quasi hoc anno, eodem Archonte natus fuerit Thales, qui postea demum primus sapiens appellatus est.

Itrus five Ister, Callimachi Cyrenæi discipulus, inde cognominatus Callimachus, cum ad ipsum finem Marmorei Chronici claresceret, Timæo Siculo ætate fere æqualis, cujus etiam historiis contrarias edidit, indito ipsi cognomine Epi-Timæi, ob ejus crebras & acerbis reprehensiones: scripsit Atticarum Antiquitatum Collectanea, multis libris: quippe cum eorum decimum tertium citet Athenæus libro 14, idemque opus Plutarchus in Theseo.

Sed omnium fusissime & amplissime Antiquitates, & res Atticæ, universam inquam Atticam historiam explicuit Philochorus Atheniensis, Cycni filius, annis ferme viginti post Chronici Marmorei terminum, libris 17: teste Suidâ, usque ad tempora Antiochi Θεῶς, qui regnare incepit omnino quatuor annis post finem ejusdem Chronici instituto opere adversus Leonidæ Damonis historiam Atticam (cujus librum quintum etiam Athenæus citat, Plutarcho in Theseo vocatur Demon:) tum aliis bonis auctoribus sæpenumero, tum etiam Eusebio in Chronico memoratus. Eorum librorum pars fuisse videtur opus de Archontibus Atheniensibus, nisi potius fuerit eorundem, saltem ex quo tempore Athenis Archontes annui creati sunt, Epitome: quam hand fatiscertò ex Suidâ colligitur, an ipse Philochorus, an vero aliquot sæculis postea, Pompeio Magno Romæ potente, & post eum Julio Cæsare Dictatore, AFINIUS POLLIO TRALLIANUS, Romæ Scholam habens, fecerit.

Apollodorus Atheniensis circa Olympiadem 165, scripsit Chronica tum aliis multis scriptoribus memorata, tum sæpenumero Diogeni Laertio, utpote in Carneadis vitâ, quem ex eo refert mortem oppetiisse anno quarto Olympiadis 162, quo tempore Luna eclipsin passâ est: Eundem auctorem secutus Diodorus Siculus proœmio historicæ Bibliothecæ suæ statuit à Troja capta ad Heraclidarum reditum in Peloponesum annos octaginta, inde vero ad primam Olympiadem dinumerans tempora per Lacedæmoniorum reges annos trecentos & duodetriginta: quo pacto statuit intervallum inter Trojæ excidium, & Epocham Olympiadicam annorum 408, uno tantummodo anno majus quem Eratosthenes.

Porro Archontum Atheniensium pariter ac Olympionicarum recensitionem edidit etiâ Stefclides Atheniensis, teste Diogene Laertio in vita Xenophontis, ubi eo auctore scribit Xenophontem obiisse anno primo Olympiadis 105, Archonte